Itinerarium Antonini

ITINERARIVM ANTONINI AVGVSTI ET HIEROSOLYMITANVM

EX LIBRIS MANV SCRIPTIS EDIDERVNT

G. PARTHEY ET M. PINDER.

ACCEDVNT DVAE TABVLAE.

BEROLINI

IMPENSIS FRIDERICI NICOLAI

MDCCCXLVIII.

CAROLO BENEDICTO HASIO

D. D. D.

EDITORES.

Non ab uno sed a compluribus neque eodem tempore opus, quale nunc habemus, confectum esse patet ex diversa eius partium forma et indole. inscriptionum ratio non ubique eadem est; modo summa milium indicatur, modo omittitur. mansionum nominibus hic illic adscriptum est colonia, municipium, civitas, castellum, praesidium, vicus, vel in maritimis refugium, plagia; quae multo saepius absunt. quantum ab Aureo monte Viminacium distet, p. 132 et summatim ponitur et praeter morem etiam singillatim: contra nonnunquam sine ullo milium numero nomen mansionis alicuius scriptum est, quae „in medio" proximarum constituta sit. ubi earundem urbium intervalla in diversis itineribus non eadem leguntur, incertum est, librariorum culpa id fiat, an re vera diversae fuerint mensurae, immutato viarum ductu factae. neque mira est in nominibus quae recurrunt scripturae varietas, si variis temporibus scripta sunt. additi interiecto tempore itineris exemplum est quod inscribitur „a Catina Agrigento mansionibus nunc institutis" (p. 94). at non semper novis itineribus idoneus locus repertus est. ubi mansio Contra Pselcis dicta ab Hiera Sycamino decem milia passuum abesse dicitur (p. 164 v. 2), ibi alienum iter interpositum computationem turbat. magis etiam viarum ordo interrumpitur Thraciae itinere inter Aegyptum et Asiam (p. 175) interiecto; quod fortasse rectius pagina 231 poneretur.

Ab initio tamen universum opus sano et circumspecto consilio dispositum et ad communem quasi normam exactum fuisse probabile est. si qua itinera easdem urbes varie coniungunt, recte geminata poni solent. longiori itineri subiungitur alterum quod eodem per compendium ducit. ne eaedem itinerum partes repetantur, ad mansiones supra scriptas lector relegatur; et altera via dicitur in alteram intrare. ordo autem itinerum ut a veterum geographorum ratione diversus, ita nequaquam incommodus est. ab extrema Mauretania itur Alexandriam; sequuntur Cor-

sica, Sardinia, Sicilia, Italia; ab urbe Roma pergitur per Pannoniam, Moesiam, Thraciam, Asiam, Syriam, Aegyptum ad Romani imperii claustra Hieran Sycaminon; deinde ab Asia per partes septentrionales pervenitur ad Galliam et Hispaniam, quibus ultima succedit Britannia.

Huic terrestri Itinerario maritimum in antiquis exemplaribus adhaerere solet. cuius prima pars (p. 487-497), urbium maritimarum distantias et traiectuum mensuras amplectens, bene cum illius Itinerarii ratione et indole convenit. altera pars, id est Itinerarium portuum vel positionum navium (p. 497-508), minutam interioris maris particulam comprehendit; quod si absolutum esset opus, maximae profecto molis futurum erat. insulae tertia parte recensentur (p. 508-529), ratione a reliquo Itinerario nonnihil diversa: nam nec distantiae ubique notantur, et quae ex fabulis adiecta sunt, in libro publica auctoritate edito vix requisiveris.

Non mirum est in huiusmodi opere, quod fere totum numeris et urbium nominibus constat, iterum atque iterum exscribendo librarios haud raro peccavisse. maximopere geographos vexavit manifesta numerorum depravatio, vel in eo conspicua quod saepissime summa in titulis indicata singulis numeris collectis non respondebat. praecipuam igitur operam in emendandis numeris posuimus; quae res difficillima erat, quod menda non minus summae quam singulis numeris inesse poterant, et alterum non debebat neglecto altero moveri. augebat difficultatem quod earundem mansionum distantia variis locis varie indicabatur. codicum tamen ope longe maximam numerorum partem pristinae sinceritati restituere nobis contigit.

Est ubi verbis recte distinctis ratio numerorum in quibus editores offenderint, emendetur, velut pag. 100 v. 7, ubi mansio quattuor milia passuum ultra Anconam sita significatur. nonnunquam mansiones aliquot interiectae sunt,

quarum numeri perperam summae additi calculum turbabant, ut pag. 92 v. 5, p. 126 v. 5-9, p. 132 v. 3-133 v. 2. in gravissimos errores induxit geographos locus ille p. 242 seq. ubi verba „in medio" quodammodo numeri vicem sustinent. rectam scripturam praebebat codex Parisiensis *D*. eodem pertinent pag. 109 v. 4 et p. 262 v. 1. etiam pag. 301 v. 6-8 apta verborum dispositio omnem difficultatem sustulit.

Ad Hispaniae itinera rectius disponenda meliores codices egregiam nobis operam praestiterunt p. 423 seq. item male repetitum iter Italiae auctore Scorialensi codice eiecimus (post p. 119 v. 2). in Britannia simili librariorum incuria iter bis positum videbatur p. 483. vix opus est monere in Wesselingii pagina 174, quae apud nos non invenitur, nonnisi iter proxime antecedens annotationis loco ex aliis codicibus iterum expressum esse.

Mire sensus turbabatur p. 95 96, ubi refugium et plagia initio sequentium versuum legebantur, quo factum erat ut ipsae Syracusae praestantissimis portubus praeditae nonnisi plagia dicerentur.

Formas nominum variis orbis terrarum regionibus proprias conservare quam ad communem linguae latinae regulam corrigere maluimus. partim eae antiquiores sunt quam elegantiores, partim non tam priscam rusticitatem quam seriorum temporum barbariem redolent. indeclinabilia nomina non raro ponuntur, velut a Tibulas, ubi editores a Tibulis correxerunt, et id genus plurima.

Uberioribus commentariis, quales Wesselingii aetas exigebat, abstinendum duximus, cum nunc in geographiae antiquae compendiis optime coniuncta legantur quae in annotationes discerpere incommodum foret.

Codices meliores quamquam in universum secuti sumus, tamen ibi ab iis recessimus ubi vel aliorum Itinerarii nostri locorum vel scriptorum veterum auctoritas deterioribus libris accederet. rarissime codices omnes depra-

vati ideoque relinquendi videbantur: sed ne in his quidem libri nostri fides detrimentum passa est, lectionibus codicum religiosissime adscriptis. cuiusvis enim codicis lectio aut in notis ponitur aut, ubi non commemoratur, cum textu prorsus congruit. igitur quod recepimus, id omnium codicum auctoritate nititur quorum discrepantia non annotata est. ex solo Parisiensi *D* tam saepe una vel altera litterula excidit, ut indicando quovis defectu commentarium onerare noluerimus: quae vero ex eo annotavimus, ea prorsus certa sunt. omnino monendum est, quaedam minima et lectori taedium potius quam usum allatura ex commentario nos expunxisse; qualia sunt, utrum maiori littera an minori vocabulum aliquod in exemplaribus incipiat, et quomodo singula verba, antiquitus continue scripta, a recentioribus librariis disiuncta sint; quae raro annotanda duximus. nec ubique compendia scribendi indicanda videbantur. ITEM vel IT̄ in itinerum inscriptionibus habent vetusti codices quos novimus omnes; sed Torinus in apographo Aurelianensi (*FG*) et in editione principe plerumque posuit ITER; quem secutus est Wesselingius, non idonea causa (annot. p. 23) allata. item legendum esse praeter alia suadent p. 106 v. 5, p. 493 v. 12, p. 517 v. 5. at recte p. 317 libri habent „Iter quod ducit" etc., nec raro legitur „Item alio itinere." milium numeris codices praeponunt mp̄m vel mp̄; quod recte per milia plus minus explicari *) vel inde patet quod in Itinerario Hierosolymitano (p. 549) legitur leugas plus minus. quamquam Surita ex auctoritate codicis Scorialensis ubique pro mp̄m scribendum curavit M. P., quod milia passuum interpretatur. eum secutus est Wesselingius, etsi meliora edoctus **). igitur

*) cf. annot. ad pag. (Wess.) 4 v. 1.

**) cf. Wesselingii annot. p. 5. exemplum similis formulae haud rarae praebet lapis anno p. Chr. 465 inscriptus „Alexandria clarissima femina vixit annos plus minus XXV" (Scaligeri de emend. temp. l. V. p. 446 ed. 1629).

in his etiam quo siglo singuli codices quovis in loco usi sint annotare merito supersedimus *).

Veterum codicum lectionibus discrepantiam editionum adiungere incongruum fuisset. ea tamen annotavimus quae contra codicum auctoritatem Wesselingius recepit, ne ignorarentur quae per centum-fere annos disquisitionum geographicarum quasi fundamenta fuissent.

CODICES NOSTRI.

Ex magno codicum numero qui nobis innotuerunt ad emendandum Antonini Itinerarium a nobis delecti sunt viginti, quos hic recensebimus, de eorum indole infra (p. XXXII) dicturi.

A Parisiensis Regius 4806, saeculi X, membranaceus, foliis 42, latis pollices Parisinos 7 lineas 9, altis pollices 9 lineas 3.

Insunt: Aethicus initio mutilus; — Itinerarium Antonini; — Carmen de ecclesiae Rom. amplitudine; — Epitaphia Leonis IX et Henrici III; — Dicuil; — Fulberti rythmus; — Epitaphium Guidonis.

Paginae sunt in Itinerario bipertitae, columnae versuum 29; inscriptiones et litterae versuum inceptivae plerumque unciales et nonnumquam rubricatae. exciderunt folia nonnulla; exhibet codex paginas Wess. 1-58, 109-124, 247-273, 304-336, 353-399, 447-529. eum ipsi excussimus. scripturae specimen tab. II 5.

*) In millenario numero exprimendo ut libri paginis 493-497 inter se differant, hic coniunctim ponemus. igitur pro M

p. 493 v. 1 mille *habent omnes praeter P*
p. 493 v. 10 mille *ABCEJMTUV*
p. 493 v. 11 mille *JK*, ī mille *BCE*, ī *AEMRTUV*
p. 494 v. 2 mille *BJK*, ī mille *C*, ī *AEMQRTUV*
p. 494 v. 6 mille *CJ*, ī *ABEKMRTUV*
p. 497 v. 3 mille *BK*, ī *ACEJMORTUV*
p. 497 v. 4 mille *CEJOQRV*, ī *ABKMTU*
p. 497 v. 7 mille *CJ*, ī *reliqui praeter P*.

B Parisiensis Regius 4807, olim Conradi Celtis, saeculi viii exeuntis, membranaceus, foliis 58, latis pollices Parisinos 6 lineas 3, altis pollices 9.

Insunt Aethicus et Itinerarium Antonini.

Paginae sunt bipertitae, columnae versuum 24 vel 25. ultima quattuor folia continent Itinerarium maritimum, versibus continuis scriptum. inscriptiones maiusculis litteris, plerisque rubricatis, exaratae; litterae initiales raro miniatae.

Codex eleganter quidem scriptus, sed humore ita foedatus est, ut singularum paginarum vix sexta pars, eaque interior et libri dorso proxima, incolumis manserit. in deteriori parte nigrarum litterarum nonnullae, rubrarum plurimae prorsus evanuerunt; vestigia tamen apicum in tractando codice invenire studuimus. exciderunt duo folia p. 452-462 et 512-523 Wess., quae asservantur Londini in Museo Britannico, Bibl. Egerton. 268 fol. 8 9. eorum apographum Georgius Pertz vir summus manu sua peritissima confectum benigniter nobiscum communicavit. scripturae specimen tab. II 4.

C Parisiensis Regius 4808, Colbertinus 2565, olim P. Pithoei, qui nomen suum folio primo inscripsit, membranaceus, foliis latis pollices Parisinos 7 lineas 2, altis pollices 10 lineas 2.

Insunt Aethicus et Itinerarium Antonini, saeculi xii. paginae bipertitae, columnae versuum 29. inscriptiones litteris maiusculis exaratae ac miniatae; item pars litterarum initialium. codex et eleganter scriptus et optime servatus est: nullum excidit folium. scripturae specimen tab. II 8.

Itinerarium sequuntur Excerpta ex Iulio Honorio, saeculi vi; — Itinerarium a Burdigala Hierusalem usque, saeculi viii, de quo infra dicemus; — Excerpta ex Hieronymo de gentibus, saeculi x; — Anonymi de Hiero-

solyma relatio, saeculi x; — Noticia provinciarum Galliae, saeculi x; — Nomina provinciarum Romanarum, saeculi x; — Fragmenta e Valerio Maximo; saeculi xv; — Vibius Sequester, saeculi xv; — Aethicus ab Hieronymo translatus *), saeculi xII; — Aenigmata Longobardico charactere exarata; — Anonymus de proprietatibus provinciarum, saeculi xiv. et hunc codicem ipsi tractavimus.

D Parisiensis Regius 7230 *A*, antea Noalliensis, saeculi x, membranaceus, foliis latis pollices Parisinos 9 lineas 4, altis pollices 10 lineas 6.

Insunt: Fl. Vegetius; — C. I. Solini polyhistor a Waldcaudo clerico scriptus; — Itinerarium Antonini p. 163-435 Wess.

Paginae sunt tripertitae, columnae versuum 28; inscriptiones rubricatae, maximam partem deletae. scriptura est nitida, sed passim aut verba integra aut litterae perierunt; quas singulis punctis indicavimus. numeri permulti a librario omissi. folia ultima membranis super agglutinatis ita foedata sunt ut partim legi nequeant. de eximii huius codicis indole vide p. xxxIII; eum ipsi excussimus, sed innumeras lacunas temporis iniuria factas non ubique in notis commemoravimus. dubitationes quasdam postea nobis ortas Martinus Hertz codice iterum inspecto humanissime solvit. scripturae specimen tab. II 6.

E Parisiensis Regius 4126, olim 3896, Colbertinus 3120, cuius primo folio in margine inferiori scriptum est „Gulielmus Caecilius mil: D[s] de Burghley", saeculi xIII, membranaceus, foliis latis pollices Parisinos 6 lineas 9, altis pollices 11 lineas 7.

---

*) Similiter inscriptus liber ex Aethico excerptus, sed argumenti ab edito prorsus diversi, exstat in codicibus saeculi noni membranaceis Sangallensi 133 8° et Guelferbytano 80^b 8°.

Insunt triginta et unus tractatus varii argumenti (cf. Aniceti Meloti Catal. T. III 4126.), in quibus Itinerarium maritimum, p. 487-508 Wess., quod ex eo codice exscripsimus. scripturae specimen tab. II 11.

F et *G* codices duo fortasse deperditi, quorum apographum Aureliae ad Ligerim (nº 265) adservatur. fuit Guilelmi Prousteau antecessoris Aurelianensis. est liber chartaceus, paginis versuum 19, latis pollices Parisinos 3 lineas 3, altis pollices 5 lineas 2. continet Itinerarium Antonini 101 foliis (7-107); sequitur index foliis 75.

Is liber anno 1511 a Godofredo Torino in usum Philiberti Baboi ex antiquo exemplari (*F*) exscriptus est, additis recentioris cuiusdam codicis (*G*) lectionibus. eosdem codices duos Torinus paulo post expressit in editione principe *), quae, ut fit, hic illic a libro scripto

*) Ita rem se habere, quamvis nec Torini nomen nec Baboi in codice legatur, patet ex his quae sequuntur. folio codicis 3 legitur „Probam et debitam rem facturus visus sum, ornatiss. vir, si beneficiorum quae tam multa in me benignus contulisti, non immemor, hoc Itinerarium manu mea, tibi profecto devota, meliuscule conscriberem. nisi me intempestivitas assidua circunsedisset, et nisi libellus hic in tuum sinum literarum gratissimum umbraculum compositior et honestior velle venire quotidie ad aurem mihi subvagiisset, diligentiorem proculdubio tu me invenisses. certum habeo (et omnes etiam atque etiam experiuntur) quemcunque hominum pro sua qualitate peculiarem sibi et adseclam habere miseriam: certum inquam habeo, unde modo intempestivitatem illam iuste in me damnare nequeo. libellum autem ipsum ad te pedibus illotis pervenire, concedere potui nunquam, ea pote ratione, quia semper honestis et moribus et virtutibus te exornatum perspexi. diligentia mea tamen si de impromptitudine quoquo modo videtur damnanda, de maturitate fortassis veniet (vel aliquantulum) demum laudanda. hoc ego feci consulto imitatus elephantum, quae gravida (ut vulgus existimat) anno etiam tandem parit decimo. vale. Parrhisiis 5 No. Maias. anno domini 1511. tu das epulis accumbere divum". fol. 6 recto „ad" [litterae deletae: haud dubie „Philibertum Baboum"] „Distichon" [deletum]. fol. 6 verso „studiose lector. ex duobus exemplaribus hoc Itinerarium est transcriptum. quaecunque minio et atramento notata et inscripta sunt, ex vetustissimo exemplari sunt. quod autem rosaceo plusculis in locis adiectum est, ex altero non multum vetusto exemplari ad dif-

Aurelianensi dissentit. nos scriptum librum a nobis excussum in universum secuti, primis tamen paginis (1-10), ubi Torinus in edendo quam in exscribendo accuratior fuit, nonnulla quae in apographo erant manifesto falsa ex editione principe potius annotanda duximus. antiquum illud exemplar, quod ex Morinis sibi allatum Torinus refert, a Blandiniano (Gandavensi) Suritae non diversum esse, praeter codicis patriam lectionum congruentia docet. eum Surita pagina 174 „bibliothecae Blandinianae pervetustum codicem à cccc circiter annis transcriptum" dicit. saeculi igitur videbatur duodecimi. ubi nunc sit ignoramus.

Codex *G* saepius quam pro eius indole credibile est cum *F* consentire videtur, quia haud dubie non omnes eius lectiones apographo codicis *F* a Torino adscriptae sunt. *G* igitur non magnae est auctoritatis:

---

ferentiam cognoscendam, syllabiculatim, et quidem attente, collatum est. illa vero quae cyaneo linea sunt subtersignata, vetustissimum exemplar praeter alterum continebat. vale."

In editione autem principe (Parisiis in domo Henrici Stephani 1512 8° min.) haec leguntur.

„Godofredus Torinus Bituricus Philiberto Baboo viro modestissimo s. p. d. itinerarium multis iam annis, vir ornatissime, situ prope modum obsitum quum ab amico michi semper excolendo Christophoro Longuolio, viro sine controversia studiorum omnium bonorum excellentissimo, iam ab hinc quatuor annos commodo primum exscribendum accepissem, unum tibi manu mea scriptum, forma quidem non usque quaque ineptum, ad te ex Parrhisiis in Turoniam mittere venerat in mentem. viro cuius etiam nomini lubens parco, ad te dederam portandum: verum ipse, alii nescio cui, te, me, et sua fide posthabitis satis impudenter dono dedit. labore meo sic ego frustratus, alterum tibi conscribere maturabam, nisi ipse Longuolius, qui exemplar iam olim ex Morinis adportaverat, et michi, ut dixi, commodo dederat, nuper ex Pictavis Parrhisios adveniens monuisset imprimendum curarem." etc. et paulo post „Torinus lectori salutem. quo melius hoc Itinerario, iucunde lector, possis uti, admonendus es quaecunque virgula miniacea notata deprehendes, ea plura fuisse apud vetus exemplar quam in altero recenti. quae autem in ipso recenti diversa legebantur minutula litera et ipsa quidem rubra suis locis sunt superimpressa." etc.

quodsi non prorsus attente a Torino excerptus putetur, poterit a Parisiensi nostro *T* non diversus videri (cf. p. Wess. 96 v. 7 et p. 439 v. 3).

In fine codicis Aurelianensis Itinerarium Hierosolymitanum valde decurtatum tribus foliis saeculo XVI vel XVII festinanter descriptum est, eadem manu quae variantes lectiones nonnullas Tabulae Peutingeranae ad marginem Itinerarii Antonini annotavit.

H est codex Itinerarii Hierosolymitani, de quo vide pag. XXXIV.

J Remensis (signatus *K* 755, 780) anni 1417, membranaceus, foliis 130, latis pollices Parisinos 6 ferme, altis 8.

Insunt: Pomponius Mela; — Aethicus; — Itinerarium Antonini.

In primo folio legitur „Cosmographia Pomponii Mele et alia Cesaris atque Itinerarium. scriptum Constancie in concilio generali anno dñi MCCCCXVII et concilii tercio;" et infra ab alia manu „ego Guilelmus Cardinalis S^ci Marci *) olim Decanus Remensis hunc librum dono librarie ecclesie Remensis, quem quoque conscribi feci (vel quem propterea scribi feci). scriptum manu propria Constancie in concilio generali anno dñi millesimo CCCC XVII; die prima novembris." in fine libri „hic cathenatus 12^a aprilis anno 1418", scilicet ex more notissimo catena ad bibliothecae tabulam tunc adligatus. nos codicem a benignissimo hospite Ludovico Pâris comiter nobis concessum Remis ipsi excussimus. exhibet Itinerarium integrum. magna eius est cum antiquissimo Vindobonensi *L* affinitas.

K Guelferbytanus, Misc. 4^to 61, Helmstadiensis 585, saeculi XV, chartaceus, negligenter scriptus, foliis altis pol-

*) Marlot histoire de Reims. Paris 1843. 4to. T. I p. 659. „Guillaume Fillastre fut doyen de l'église de Saint-Symphorian et de la cathédrale l'an 1392. Il mit en ordre les institutions des archeveques en 1400, et fit présent de sa bibliothèque à l'église de Reims."

lices Parisinos 8 lineas 6, latis pollices 5 lineas 8, continet praeter alia Aethicum et Itinerarium Antonini, p. 1-47, 487-529 Wess. eum ipsi excussimus.

Scripturae specimen tab. II 12.

L Vindobonensis Caesareus 181, Hist. prof. 658 (Endlichero cccxxix), saeculi VIII, membranaceus, litteris uncialibus exaratus, foliis 60, latis pollices Parisinos 6 lineas 2 ferme, altis pollices 8 lineas 11. paginae sunt versuum 26 vel 27.

Insunt Aethici Cosmographia et Itinerarium Antonini. folium ultimum ab alia manu ad similitudinem scripturae prioris satis nitide litteris maiusculis scriptum est. initiales litterae auro variisque coloribus eleganter pictae sunt.

Primo codicis folio verso „ex Bibliotheca Caes[a] Viennensi Leopoldi primi Caesaris Augustissimi."

In hoc libro praestantissimo numeri collecti, qui singulis itineribus anteponuntur, fere omnes erasi et a secunda manu correcti sunt. exhibet Wesselingii paginas 1-292, 301-486: omittit tamen itinera quaedam p. 427.

Hunc codicem excussit Ioa. Henr. Chr. Schubartus in usum Leopoldi Rankii, qui nobis eius collationis humanissime copiam fecit. iterum a nobis inspectus et a Gustavo Partheio ex parte excerptus est.

Scripturae specimen tab. II 1.

M Dresdensis, signatus *D* 182 (Falkenstein p. 262), membranaceus, foliis 135, latis pollices Parisinos 6 lineas 6, altis pollices 8.

Compactus est ex duobus codicibus, quorum prior circa annum millesimum scriptus foliis 1-62 continet Aethicum, Antonini Itinerarium (fol. 15b seq.) et Dicuili librum de mensura orbis terrae (fol. 50b seq.), alter foliis 63-135 Vegetium de re militari. in Aethico, Itinerario et priore parte Dicuili paginae sunt bipertitae, columnae versuum 27.

Scripturae specimen tab. II 7.

Codex prior folio primo recto inscriptus est „De quattuor partibus mundi"; eodem folio verso in summa pagina scriptum „Ragenerus Praepositus *) dedit Sanctae Mariae Remensi"; ac singuli quaterniones in imis paginis signati sunt „Sanctae Mariae Remensis."

Codici utrique fol. 2 et 64 a recentiore manu adscriptum est „Codex monasterii Sancti Michael in monte prope babebergam", ac praeterea priori „I,20", alteri „I,19." fuit deinceps Ioannis Georgii ab Eckhart et Christ. Gottl. Schwarzii professoris Altorfiensis, quorum ille dissertationis de Apolline Granno Wirceburgi editae pagina 20 iter unum ex eo expressit. (cf. Bibliothecae Schwarzianae P. II Altorfii et Norimb. 1769. 8°. p. 11 cod. 30 et 31.) hunc codicem Falkensteinii benignitate nobis concessum ipsi excussimus. in eo Itinerarium integrum continetur. cf. p. XXXIII.

N Vaticanus 1883, membranaceus, forma maiore. in fronte „Est Augustini Triuultij Cardinalis s. R. E". insunt: „Ex Plutarco de vita demostenis per leonardum Aretinum"; — ab eadem manu „Incipit dialogus domini Leonardi aretini ortantis viros studiosos ad exercitium disputandi"; — ab alia manu „Vita titi quintij traslata de Greco in latino per G. Veronensem"; — a manu saeculi XIII ineuntis Aethicus et Itinerarium Antonini, ita „Incipit Cosmographia feliciter. cum itinerarijs suis et portibus" etc.; — a manu longe recentiori „Ratio totius orbis et provinciarum ab Orosio presbytero descripta".

Itinerarium Antonini ad fidem huius codicis in Emmanuelis a Schelstrate Antiquitate ecclesiae (Romae 1692

*) Galliae Christianae Tomo IX p. 165: inter Praepositos Remenses VIII[us] Rainerus seu Ragenerius memoratur anno 1008 in charta Arnulfi archiepiscopi, et prid. id. Mai. in necrologio Remensi. adfuit anno 1015 concilio Remensi.

-97. fol.) T. II p. 569 seq. expressum (ubi per errorem numero 1833 notatur) a nobis rogatus accurate cum codice contulit H. Brunn, nec pauca invenit corrigenda. in plurimis codex cum vetustissimo Vindobonensi *L* consentit: exhibet ut ille paginas Wess. 1-292, 301-486.

O Matritensis, signatus *Q* 129, Regius, Bibliothecae Nationalis, saeculi xiiii vel xv, membranaceus, forma maiore.

Insunt: Aethicus; — Itinerarium Antonini, quod in foliis 15-45 scriptum est paginis bipertitis; — Septem montes etc.; — Dicuil; — Annunciationes provinciarum; — De rebus bellicis; — Altercatio Hadriani; — Descriptio Romae et Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Noticia dignitatum; — Demensuratio provinciarum que non erat in praecedenti codice. cf. Knust in Pertz Archiv 1843 VIII p. 791.

Hunc codicem, de cuius indole dicetur pag. xxxiii, in usum nostrum exscripserunt F. W. Lembke et (inde a p. 64 Wess.) Iulius Kühn. apographo cautius utendum censuimus, cum exempli gratia l et s litterae permutatae nobis visae sint. scripturae specimen tab. II 10. ex eodem codice Hier. Paulus Hispaniae itinera videtur expressisse.

P Scorialensis II *R* 18, antea Ovetensis, in membranis plerisque deleticiis scriptus, forma fere quadrata, continet varia geographica, historica, theologica, in quibus Itinerarium Antonini saeculo viii, ut videtur, exeunte scriptum, paginis bipertitis, columnis versuum 36-38, et inscriptionibus et quae numeris adiici solent $\overline{\text{mp}}$ litteris rubricatis. fol. 1 Sancti Isidori de natura rerum. capiti de partibus terrae inscripto fol. 23ᵛ praeponitur carmen quod Sisebuto tribuunt, P. Burm. Anthol. V 46. fol. 35ʳ Breviarium Rufi Festi. fol. 44ʳ Antonini Itinerarium maritimum, cui fol. 47ʳ ab eadem manu adscripta sunt „igitur iheronimi $\overline{\text{prsr}}$ succedit auctoritas. drepanum bitiniae ciuitatem in honorem luciani martiris" etc. fol. 47ᵛ et 48ʳ „ex libro ethimologiarum".

fol. 48ᵛ Chronicon Prosperi „Arcadius theodosi filius". fol. 55ʳ „ex libro de origine gotorum a domno Isidoro editum." fol. 55ᵛ Dimensio terrae „Iulio cesare marco et antunino" etc. (quae ex Aethico habet codex Vaticanus 3864, Mus. Rhen. 1842 p. 489). fol. 62ᵛ Disputatio de haereticis et alia recentiora. fol. 67ʳ Antonini Itinerarium provinciarum. fol. 83ʳ „sermo sancti Ambrosii epci de pace" et alia. ex his eadem, qua Itinerarium Antonini, manu scripta sunt opuscula Rufi, Prosperi, Aethici: reliqua saeculis IX X XI. ultimum folium, 95, super deletis litteris uncialibus ab eadem manu, quae alia codici antiquiori postea adiecit, habet indicem bibliothecae inscriptum „In nomine domini hoc est inventarium librorum adnotatum domino annuente sub era DCCCCXX". qui annus aerae Toletanae incidit in annum Christi 882. errat autem Hieronymus Surita cum (p. 174) hunc annum ad Itinerarium Antonini, multo antiquiore manu scriptum, refert. praestantissimum hunc codicem, anno 1572 Oveti ab se inspectum, Antonius de Morales putat origine Toletanum esse (Viage para reconocer las reliquias . . . y libros manuscritos de las Cathedrales y Monasterios; dalę a luz Fr. H. Florez, Madrid 1765 fol. pag. 93). eodem usus est Surita, cuius emendationes nunc Matriti adservantur in Bibliotheca Academiae historicae. ex quarum apographo quae in editione Coloniensi a. 1600 Andreas Schottus publicavit, ea magnam partem mendosa erant: correcta autem sunt Gustavi Heinii opera, qui a nobis rogatus non tantum codicem cum edito accurate contulit, sed etiam diagraphas scripturae confecit cum ipsius Itinerarii (vide tab. II 2) tum eius paginae quae sequenti saeculo scripta aeram continet. dubitationes quasdam postmodum nobis natas benigniter solvit bibliothecarius Scorialensis Don Iosè Quevedo, praeter alia consultus de p. 510 v. 4. raro Suritae auctoritate usi sumus, qui fortasse vidit quae

postea evanuerint, velut p. 70 v. 7 et p. 489 v. 3. habet codex *P* quae paginis Wess. 1-373 et 487-529 continentur. ceterum de eo cf. pag. XXXIII.

Q Florentinus Laurentianus, plut. LXXXIX sup. cod. LXVIII, antea Gaddianus, numero 913 antiquitus designatus, saeculi XV, chartaceus, forma quadrata, foliis 77. Bandini T. VI (lat. III) p. 330-333.

Insunt: De rebus bellicis; — Descriptio Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Aethicus; — Itinerarium Antonini integrum; — Septem montes; — Dicuil; — Demonstratio provinciarum, quae non erat in praecedenti codice sed de antiquissimo libro excerpta.

De huius codicis indole cf. pag. XXXIII; eius apographum in usum nostrum confici curavit Franciscus de Furia, primus Laurentianae bibliothecarius.

R Florentinus Laurentianus, plut. LXXXIX sup. cod. LXVII, antea Gaddianus, numero 919 antiquitus designatus, saeculi X, membranaceus, forma quadrata, foliis 37, cum titulis grandiori ac rubricata littera exaratis; optime servatus. Bandini VI (lat. III) p. 324-330.

Insunt: Aethicus; — Itinerarium Antonini integrum; — Septem montes et aquarum ductus; — Regiones urbis Romae; — Breviarium urbis Romae.

Huius codicis collationem accuratam cum apographo codicis *Q* itidem debemus humanitati Francisci de Furia.

S Lugd. Batavus, Vossianus fol. 60, saeculi XIII ineuntis, membranaceus, foliis 29, latis pollices Parisinos 7 lineas 9, altis pollices 11 lineas 5. paginae sunt bipertitae, columnae versuum 30, inscriptiones rubricatae. scriptura elegans est et accurata, cuius specimen exhibet tabula II 9.

Insunt Aethicus et Itinerarium Antonini, p. 1-170 et 203-267 Wess.

Hunc codicem, I. Geelii humanitate nobis concessum, ipsi tractavimus. de eo Wesselingius praefationis

pagina ultima „Celeb. P. Burmannus Vossiani codicis, quem dives Lugdunensis bibliothecae gaza servat, apographum mecum communicavit."

T Parisiensis Regius, Suppl. lat. 671, antea Lamonianus K, saec. XV, membranaceus, foliis 146, latis pollices Parisinos 7 lineas 5, altis pollices 10 lineas 11. paginae pleraeque binas columnas habent versuum 35, paucae vel singulas vel trinas. scriptura nitidissima. picturae 105 elegantissimae. folio primo infra picturam legitur „iste liber est celestinorum de parisius sign. per ʒ[c] ɱʒ".

Insunt: Aethicus; — Itinerarium Antonini p. 3-529 Wess., quod initio mutilum incipit .... rationem; recens adscriptum est „Itinerarium Antonini" et in margine „desunt 4 vel 5 lineae"; — Septem montes; — Dicuil; — Annunciationes provinciarum; — De montibus portis viis Romae; — De rebus bellicis; — Altercatio Hadriani; — Descriptio Romae et Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Notitia dignitatum.

De huius codicis indole vide pag. XXXIII; eum excussit Mauricius Pinder.

U Monacensis 291, antea Palatinus cod. cum picturis 41., conscriptus inter annos 1542 et 1551, membranaceus, foliis 222. in primo folio legitur. „Hic liber, cui titulus Itinerarium Antonini, ad verum atque archetypum exemplar descriptus, Illmo Principi ac dno dno Othoni Henrico, Comiti Palatino Rhenj, utriusque Bavariae duci etc. tanq. antiquitatis amatori atque indagatori studiosissimo, a venerabilibus ac honestis Cathedralis Ecclesiae Spirensis Decano atque Canonico Dono missus est" etc. (cf. Föringer in Annalibus Bavaricis 1835 p. 502.)

Insunt: Aethicus; — Itinerarium Antonini p. 3-529 Wess., quod incipit .... rationem; — Septem montes; — Dicuil; — Annuntiationes provinciarum; — De portis Romae; — De rebus bellicis; — Disputatio Adriani; —

Descriptio Romae et Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Notitia dignitatum cum picturis.

Hunc codicem, de cuius indole pag. xxxiii dicetur, a nobis rogatus excussit H. Föringer, bibliothecae Regiae Monacensis custos.

V Monacensis 99, antea Victorianus, anni 1436, membranaceus, paginis 345, latis pollices Rhenanos 7 ferme, altis 10.

Initio legitur a valde recenti manu „Notitia dignitatum utriusque imperii orientis scilicet et occidentis ex altero codice Spirensis bibliothecae exscripta anno dn̄i MCCCCXXXVI."

Insunt Aethicus; — Itinerarium Antonini p. 3-529 Wess., quod incipit ... rationem; — Septem montes; — Dicuil; — Annunciationes provinciarum; — De montibus portis et viis Romae; — De rebus bellicis; — Altercatio Hadriani; — Descriptio Romae et Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Notitia dignitatum; ad calcem „Exemplata est haec cosmographia quae Scoti dicitur cum picturis ex vetustissimo codice: quem habui ex Spirensi bibliotheca anno dn̄i MCCCCXXXVI mense Ianuario: dum ego Petrus Donatus dei pacientia Ep̄us paduanus vice sc̄tissimi dn̄i Eugenii p̄p̄ IIII Generali Basiliensi Concilio praesiderem;" — Dimensuratio provinciarum quae non erat in praecedenti codice sed de antiquissimo libro excerpta; — ab eadem manu Cyriaci Anconitani de septem mundi spectaculis ex Gregorio Nazianzeno, gr. et lat.

De codicis indole vide pag. xxxiii; eum excussit H. Föringer.

CETERI CODICES.

Praeter hos viginti codices, quibus ad emendandum Antonini Itinerarium usi sumus, alii multi nobis innotuerunt et maximam partem aut a nobis aut ab aliis nostrum in

usum examinati sunt. verum ii non digni videbantur, quorum lectionibus moles commentarii nostri augeretur. sunt autem hi potissimum.

Ex antiquissimo codice Spirensi, de quo infra dicetur, exscripti sunt qui proxime sequuntur septem.

Monacensis Ies. 13, saec. XVI, chartaceus, negligenter scriptus, e bibliotheca Conradi Peutingeri, postea Iesuitarum Augustanorum. inest prior pars codicis Spirensis, i. e. Aethicus; — Itin. Antonini (quod initio mutilum incipit in medio vocabulo ... rationem p. 3 v. 3 Wess.); — Septem montes etc.; — Dicuil; — Annunciationes provinciarum; — De montibus etc. Romae. eum codicem nullius fere pretii esse cognovimus ex Foeringeri litteris.

Romanus Barberinus 809, saec. XVI, membranaceus, forma max. insunt: Aethicus; — Itin. Antonini (quod incipit .... rationem quod mercurius dr. p. 3. v 3 Wess.); — Septem montes? — Dicuil; — Annunciationes provinciarum; — De montibus etc. Romae; — De rebus bellicis; — Altercatio Hadriani; — Descriptio urbis Romae et Constantinopolis; — De gradibus; — Notitia dignitatum. huius codicis partem Lud. Bethmannus nostrum in usum excerpsit. lectiones conveniunt cum Monac. *U*, desunt autem quae in *U* leguntur ad calcem Notitiae dignitatum „Exemplata est haec cosmographia etc."

Vindobonensis 3102, Salisburg. 18[b], Endlichero CCCXXXI, scriptus anno 1529, chartaceus, forma maxima, foliorum 108. insunt: Aethicus; — Itin. Antonini; — Septem montes; — Dicuil; — Annuntiationes prov.; — Excerpta e P. Victore; — De Rebus bellicis; — Altercatio Hadriani; — P. Victor de XIV regionibus urbis Romae; — Descriptio Constantinop. — Notitia dignitatum, cuius in calce „Anno Domini 1484". in fronte codicis, manu Bernardi Kleselii, episcopi Tridentini „Librum hunc satis incorrectum incorecte eciam esse iussu nostro tran-

scriptum ex antiquo exemplari reperto in bibliotheca capitulari spirensi, dum ibi essemus cum serenissimo rege Ferdinando etc. in conventu imperiali anno 1529. Bernardus Eps. Trid." ex bibliotheca episcopali Tridentina Vindobonam pervenit. huius codicis Gustavus Parthey excerpsit particulam, cuius lectiones nihil novi afferebant.

Vindobonensis 3103, Salisburg. 18^c, Endlichero CCCXXXII, saec. XVI, chartaceus, forma maxima, foliorum 108. eadem continet quae proxime antecedens, cuius apographum est. et hic fuit in bibliotheca episcopali Tridentina.

Venetus Marcianus olim Ambrosii Contareni, postea Thom. Ios. Farsetii, saec. XV, membran. folio. insunt: Aethicus; — Itinerarium Antonini (quod incipit ... rationem quod mercurius dicitur. p. 3 v. 3 Wess.); — Septem montes etc.; — Dicuil; — Annuntiationes provinciarum; — De montibus etc. Romae. haec est prior pars codicis Spirensis. cf. Iac. Morellii biblioteca manoscritta di T. G. Farsetti. Venet. 1771-80. 12^mo T. I p. 36, cod. lat. 30; et T. II p. 251. — eiusdem Morellii Bibl. manuscripta gr. et lat. T. I. Bassani 1802. 8. p. 370 et 385. hunc codicem nostra gratia Antonius de Steinbüchel inspexit et particulam eius excerpsit, novi nihil exhibentem.

Canonicianus, i. e. Matthaei Aloysii Canonici, cuius libros Oxoniam migrasse auctor est Blumius Itin. Italici T. I p. 235. saec. XV, membran. folio. Insunt: Aethicus; — Itin. Antonini, quod incipit ... rationem quod mercurius dicitur. p. 3. v. 3 Wess.; — Septem montes; — Dicuil; — Annuntiationes prov.; — De montibus etc. Romae; — De rebus bellicis; — Altercatio Hadriani; — Descriptio Romae et Const.; — De gradibus cognationum; — Notitia dignitatum, cuius in fine „Exemplata est haec cosmographia 1436" etc. (Morelli p. 390); — Demensuratio

provinciarum; — et ab alia manu „Cyriaci Anconitani de septem mundi spectaculis ex Gregorio Nazianzeno gr. et lat." quamvis in lectionibus omnino cum Spirensibus congruat, tamen in primo numero differt, qui est (p. 4. v. 1 Wess.) CCCLXXIIII.

Neapolitanus Suritae, de quo Surita pag. 174 editionis suae „bibliothecae Neapolitanorum regum, qui postea Cardinalis de Ursinis fuit, anno MCCCCXXVII exscriptus." primos versus desiderari dicit Surita, haud dubie usque ad illa „rationem quod mercurius dicitur" p. 3. v. 3 Wess. ubi nunc lateat ignoramus. lectiones eius ex Suritae editione depromptas, quippe incertas et nullius fere auctoritatis, raro adscripsimus, ut pag. 161 162. Wess.

Spirensis. hi septem quos modo recensuimus codices cum nostris *TUV* originem ducunt ab „antiquissimo Spirensi". is codex, ideo potissimum celebris quod nonnisi ex eius apographis Notitia dignitatum innotuit, nunc deperditus videtur. eum Spira Basileam allatum fuisse anno 1436, testantur Monacensis *V* et Canonicianus; Spirae fuisse medio saeculo sextodecimo patet e Monacensi *U*. frustra ibi quaesitus est ab Nicolao Heinsio a. 1672.

Series opusculorum, quae Spirensi codice continebantur, in duas dividitur partes; sunt autem hae.

I Aethicus; — Itinerarium Antonini (cui adhaerent „Septem montes" et „Nomina aquarum"); — Dicuil; — Annotationes provinciarum; — De montibus portis et viis Romae.

II De rebus bellicis (cum undecim tractatibus); — Altercatio Hadriani; — Descriptio Romae et Constantinopolis; — De gradibus cognationum; — Notitia dignitatum orientis et occidentis.

Haec in plurimis de quibus diximus Spirensis apographis insunt: priorem tantum partem habent Mona-

censis Ies. 13 et Venetus Farsetii; alteram partem ante priorem ponit Florentinus *Q* nonnullis omissis.

Iis quae ex antiquo Spirensi codice descripta sunt, in Canoniciano et Monacensi *V* (ut et in Matritensi *O* et Florentino *Q*) adhaeret „Dimensuratio provinciarum quae non erat in praecedenti codice". praeterea in Monacensi *V* ab eadem manu, in Canoniciano ab alia adiectum est Cyriaci Anconitani opusculum graecum de septem mundi spectaculis e Gregorio Nazianzeno sumptum.

Anni quibus Spirensis codex exscriptus est nobis innotuerunt hi:

1427 ex Neapolitano Suritae

1436 ex Canoniciano et Monacensi *V*

1484 ex fine Vindobonensium 3102 et 3103 secundum Endlicherum p. 232 Catalogi

1529 ex initio Vindobonensis 3102

1542-1551 ex Monacensi *U*.

Vindobonensis Suppl. 14, saeculi xv, membranaceus, foliis 119 latis pollices Parisinos 5 lineas 4, altis pollices 7 lineas 6, paginis in Itinerario bipertitis, columnis versuum 21. inscriptiones litteris maiusculis rubricatis exaratae. in Italia nitidissime scriptus, e bibliotheca Olomucensi in Caes. Vindobonensem transmissus anno 1837; quondam (1670) collegii Societatis Iesu Brunae.

Insunt: Aethicus; — Itin. Antonini; — Nomina aquarum; — P. Victor de regionibus urbis; — Dicuil; — Annunciationes prov. — hunc codicem cum editione Wesselingiana contulit G. Partheius et scripturae specimen confecit. convenit cum Paris. *B*; versus in *B* omissos non habet; sed mendis propriis scatet, quare ex commentario nostro eum exclusimus.

Neapolitanus Borbonicus. C. Iannelli Catal. Bibl. latin. manuscr. Mus. Borbon. Neapoli. 1827. 4. p. 126:

CLXXII (bis) IV. *D.* 22 bis. codex chartaceus in folio, accurate sed non una manu descriptus saec. XV.

Insunt: Aethicus; — Descriptio urbis Romae; — „Itinerarium Antonii Augusti": numeri adpositi sunt Arabicis notis; — Petri Cassinensis Palaest. chorographia; — Liber dignitatum Romani Imperii; — Martiani Capellae lib. VI; — Pomponius Mela: ad calcem „Finis. Pomponii Mellae Cosmographiae liber explicit III Kal. Martii 1474 per Arnaldum de Stecans (sic) de Brixella; — Annotatio urbium atque provinc. Gallic.; — Summa decr. orbis terrae: ad calcem „Finis die 6 Aprilis 1484 per Arnaldum de Steccans (sic) de Bruxella. Neapoli."

Monacensis Ies. 14, chartaceus, anni 1514, negligenter scriptus, in folio. fuit Conradi Peutingeri, postea Iesuitarum Augustanorum. post Aethicum habet Itin. Antonini. partem huius codicis in usum nostrum excerpsit Föringerus. in multis discrepat a codicibus nostris, sed tantopere mendosus est ut fidem nullam mereatur, quare etiam hoc codice abstinuimus.

Vindobonensis 3222, rec. 1872, Endlichero CCCXXX, chartaceus, saeculi XVI, in quarto, foliorum 182.

Insunt: Emanuelis Lusitaniae regis epistole ad Iulium anni 1507; — Aethicus (apographum vetusti codicis Vind. *L*, Cuspiniani manu ut videtur confectum); — Itinerarium Antonini (item codicis *L* apographum); — Remigii Antisiod. glossae in Martianum Capellam.

Simlerus in epistola dedicatoria „Ioannes Cuspinianus scribit, se habere Itinerarium vetustissimum incerti auctoris, quod Iulio Caesari adscribatur".

Sangallensis, Bibl. Monast. n. 663 (p. 31 sqq.), saeculo XVI a Scudio confectus, qui modo editionem Itinerarii principem, modo alios scriptores, modo coniecturas suas secutus est. Simlerus hunc librum antiqui codicis apographum esse ratus ad editionem suam adhibuit. tunc in-

teger erat, nunc in principio mancus incipit: Aegyptus Thebaica, Coptos etc. p. 165 Wess. Itinerarium maritimum sequuntur Liber vetus prov. Galliae; — Vibius Sequester; — Liber noticiarum dignitatum; — Excerpta ex Itinerario quae ad Galliam spectant. huius libri a Bethmanno nostrum in usum inspecti partem cum editione Suritae contulit I. I. Bernetus, parochus et bibliothecarius civitatis Sangallensis.

Romanus Ottobonianus 2056, saec. xv exeuntis, chartaceus. insunt: Higinius de stellis; — Asiae descriptio; — Lexicon quoddam geographicum ex Caesare; — folio 101 „Incipit liber qui vocatur Itinerarius prouinciarum omnium Antonii Augusti. in primis prouinciae Africae miliaria. a tingi Mauretanie" etc., unde quaedam huius exemplaris cum veteri Blandiniano affinitas cognoscitur. in fine „Explicit liber qui Itinerarius uocatur corruptus per totum". sequitur Itinerarium maritimum cum Itinerario portuum etc.; — Herodotus de Homeri genere et Plutarchus de Homero latine; — Vita Pii II auctore Platina et alia anonyma; — Carmina de Pio II; — Cribelli Apologeticus ad Franciscum Philelphum. hunc codicem fortasse a Montefalconio (Bibl. bibl. I. p. 189 *D*) memoratum nobis indicavit Bethmannus, a nobis rogatus inspexit H. Brunn.

Valentinus et Caesaraugustanus. uterque ab Andrea Schotto excussus, qui in praefatione ad Ortelium ita „Equidem duo vetera nactus exempla, diligenter quoque comparavi. alterum Valentia Edetanorum amicitiae gratia Pe. Ioan. Nunnesius, summus nostra aetate et rhetor et philosophus, ad me misit; alterum Hieron. Blancus (qui Suritae in historiae Arragonicae tractatione succedens annales et ipse latine perscripsit) utendum dedit". lectiones a Schotto in calce editionis allatae haud magni momenti sunt: Caesaraugustanus saepe congruit cum Aurelianensi *F*. et Valentinum et

Caesaraugustanum bello Gallico (a. 1809 et 1811) interiisse probabile est (Haenelii Catal. mss. p. 999 et 1008).

Libri Sigonii et Hieron. Pauli. quas idem Schottus lectiones ex Caroli Sigonii Indice Historiarum regni Italiae excerpsit, eae codicis manu scripti auctoritatem non habent. nec magis illae quas in Hispaniae itineribus illustrandis Surita ex libro nunc rarissimo affert, cui titulus: Hieronymi Pauli Barcinonensis ad R. D. Rodericum Epm Portuen. Cardinalem Valentinū..... de fluminibus et mōtibus Hispaniarum libellus. accedunt I. de priscis Hispaniae Episcopatibus et eorum terminis. II. excerpta ex Itinerario Antonini Pii et Theodosii de Hispaniis. III. excerpta a Provinciali antiquo Eccl. Rom. de Episcopatibus Hispaniae. s. l. et a. (saeculi XV) 4to min. eae lectiones cum Matritensi *O* congruere solent, quem probabile est Paulum expressisse, nonnullis mutatis: nam recte de eo Surita p. 536 „arbitror non ex vetustis libris, sed de suo duo milliaria adiecisse".

Rogerius Gale p. IV praefationis ad Thomae Gale editionem Itinerarii Britanniarum (Londini 1709. 4) scribit „penes me est in pergamenis pars illa Itinerarii quae Africam Sardiniam Siciliam Italiamque peragrat". idem de lectionibus a patre adhibitis „debentur aliae celeberrimo Bentleyo, et sunt ex codice Atrebatensi desumptae". eae autem plerumque cum Aurelianensi *F* i. e. Blandiniano consentiunt.

INCERTORUM CODICUM EXCERPTA.

Romanus Vaticanus 3135, saeculi XV, chartaceus 8vo, negligenter scriptus, praeter varia metrica habet nonnulla geographica, in quibus Itinera Italica ex Itinerario Antonini excerpta. H. Brunn nostrum in usum particulam eius codicis descripsit, quae nimis depravatas exhibet lectiones.

Lugduno Batavorum I. Geelius nobis misit exemplar Vossianum editionis Coloniensis, duorum codicum excerptis auctum. hos codices Wesselingius Parisienses suspicatur, sed nonnisi alter cum Parisiensi *B* hic illic consentit. indidem nobis subministratum exemplar Lugdunense cum notis Iacobi Gronovii manu scriptis multo minoris pretii est. similem librum Wesselingio misit I. A. Fabricius. nec maiorem usum nobis, ex ipsis fontibus haurire consuetis, afferre poterant excerpta Oxoniensia Cantabrigiensia Dublinensia Londinensia, quae in Catalogis Bibl. Cottonianae (Oxon. 1696), mss. Angliae (1697), Bibl. Harleianae (1808) recensentur.

Edwardi Bernardi liber alter nonnisi coniecturas habet (Gale praef. p. V), alter in Britanniarum itinere a Galeo adhibitus quam fidem mereat incertum est. excerpta denique ex Nicolai Cusani schedis, quorum apographum Wesselingius habuit, saepe cum nostris *MOQTUV* faciunt, „alter Cusani" nonnunquam cum Parisiensi *B*.

DE CODICUM INDOLE.

Omnes quos novimus codices (sunt autem quadraginta ferme), cum quos in commentarium nostrum recepimus, tum ii quibus abstinuimus, quattuor potissimum classes constituunt, exceptis ambiguis quibusdam.

In prima classe ponendi sunt Vindobonensis *L* (cum Cuspiniani apographo), Vaticanus *N* et Remensis *J*.

Antiquissimus est Vindobonensis *L*, saeculi VIII, isque optimae notae, maiorem etiam usum allaturus, nisi in milium numeris passim a secunda manu refictus esset. artissime cum eo cohaerent Vaticanus *N* saeculi XIIII ineuntis et Remensis *J* anni 1417. emendationes nonnullas secundae manus ex Vindobonensi *L* recepit Remensis *J*, non recepit Vaticanus *N*, velut p. 346 v. 4; item ex p. 374 v. 7 collegeris, Remensem ipsius Vindobonensis apographum esse, verum p. 292-300 Remensis 51 versus habet qui et Vindobonensi et Vaticano desunt; itaque ne ex Vaticano

quidem solo fluxit (cf. p. 81 v. 1). Remensis *J* Itinerarium maritimum habet, quo *L* et *N* carent. itinera duo, quae in Vindobonensi desiderantur (p. 427-431), alio loco habet Vaticanus, alio Remensis; uterque omittit quae p. 270 v. 1 a secunda manu Vindobonensi inter versus addita sunt. ex his quae diximus videtur patere, ne Vaticanum quidem ex solo Vindobonensi exscriptum esse. ceterum ♄ siglum p. 32 v. 4 ex margine Vindobonensis in contextum Vaticani transiit.

Alteram classem occupat solus Scorialensis *P*, Vindobonensis *L* aetati suppar. lectiones exhibet plerumque optimas, raro perversas; saepe recedit ab reliquis fere omnibus, quorum nullus ab eo originem ducit. discrepantiae exemplum est quod p. 21 v. 2 (Wess.) in *P* legitur „Tuniza mp xv", cum reliqui omnes habeant „Nalpotes mpm xl".

In tertia classe collocandus est Parisiensis *D*, non minus singularis ac laude dignus, etsi paulo recentior situque depravatus et mancus. modo ab omnibus differt, modo solus cum Scorialensi *P* consentit, velut p. 220 v. 4. recte distinguit versus ab reliquis male coniunctos p. 242-248.

PD et in plurimis etiam *L*, quem sequi solent *JN*, priorem Itinerarii recensionem exhibent, in qua nomina urbium Diocletiano posteriora non leguntur; reliqui omnes addita habent quaedam Constantini Magni aetate non antiquiora.

DJLNP ubi inter se consentiunt, maximae sunt auctoritatis nec temere relinquendi.

Quartam classem constituunt, eamque minus praestantem, Dresdensis *M* (deperditi Spirensis simillimus, et omnibus illius apographis longe antiquior) et magna codicis Spirensis familia, i. e. Matritensis *O*, Florentinus *Q*, et quae in medio vocabulo „... rationem" incipiunt recentia libri Spirensis apographa, Aurelianensis *G*, Canonicianus, Monacenses *UV* et Ies. 13, Neapolitanus Suritae, Parisiensis *T*, Romanus Barberinus 809, Venetus Marcianus, Vindobonenses 3102 et 3103. horum igitur *MOQ* initio in-

tegri, ceteri mutili sunt; sed *OQ* non sunt ex solo *M* descripti cum habeant paginae 82 versum 3, qui in *M* et Spirensi apographis deest. ceterum huius classis codices, alioqui plerumque inter se consentientes, in primo milium numero (p. 4 v. 1 Wess.) mire dissentiunt: nam CCCCLXXIIII haben *OQ*, CCCLXXIIII Canonicianus, CLXXIIII *MTUV* et Venetus Marcianus, CXXIX Neapolitanus Suritae; unde colligere licet, vitium antiqui Spirensis ad hunc etiam numerum pertinuisse.

